

**TST Language Exam**  
**Latin**

Translate the following passage into English. You are being examined on your ability to read this text accurately with the aid of a lexicon. While your translation should be clear and readable, you should pay close attention to the grammar and stay as close as possible to the structure of the original. You have 1.5 hours.

**In response to those philosophers who think that the nature of mind is physical**

Sed quoniam de natura mentis agitur, removeamus a consideratione nostra omnes notitias quae capiuntur extrinsecus per sensus corporis; et ea quae posuimus, omnes mentes de se ipsis nosse certasque esse, diligentius attendamus. Utrum enim aeris sit vis vivendi, reminiscendi, intellegendi, volendi, cogitandi, sciendi, iudicandi; an ignis, an cerebri, an sanguinis, an atomorum, an praeter usitata quattuor elementa quinti nescio cuius corporis, an ipsius carnis nostrae compago vel temperamentum haec efficere valeat, dubitaverunt homines; et alius hoc, alius illud affirmare conatus est. Vivere se tamen et meminisse, et intellegere, et velle, et cogitare, et scire, et iudicare quis dubitet?

Quandoquidem etiam si dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitet meminit; si dubitat, dubitare se intellegit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, iudicat non se temere consentire oportere. Quisquis igitur alicunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet; quae si non essent, de ulla re dubitare non posset.

Haec omnia, qui vel corpus vel compositionem seu temperationem corporis esse mentem putant, in subiecto esse volunt videri, ut substantia sit aer, vel ignis, sive aliud aliquod corpus, quod mentem putant; intellegentia vero ita insit huic corpori, sicut qualitas eius; ut illud subiectum sit, haec in subiecto; subiectum scilicet mens quam corpus esse arbitrantur, in subiecto autem intellegentia, sive quid aliud eorum quae certa nobis esse commemoravimus. Iuxta opinantur etiam illi qui mentem ipsam negant esse corpus, sed compaginem aut temperationem corporis. Hoc enim interest, quod illi mentem ipsam dicunt esse substantiam, in quo subiecto sit intellegentia; isti autem ipsam mentem in subiecto esse dicunt, corpore scilicet cuius compositio vel temperatio est.

Augustine of Hippo from PL 42 *De Trinitate* X. 9.14--15